



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Svccinctam Doctrinarum Asceticarum Svmmam Comprehendens - Quam
ad majorem omnium in Ascési proficere cupientium utilitatem ac
subsídium

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1685

Pars V. De doctrinis ad impedimenta Perfectionis Spectantibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48214)

IV. Tertium est, ut utilem etiam praxin sciat, alienas conscientias dirigendi, ita ut cuique se aptè accommodet, & laxas quidem dextrè cohibeat & restringat; anxias verò & scrupulosas aptis medijs suaviter & prudenter relaxet.

PARS V.

DE DOCTRINIS AD IMPEDIMENTA PERFECTIONIS SPECTANTIBUS.

HÆc Impedimenta sunt duplicis generis; nam aliqua directè obstant, quò minus perfectionem quis, prout optat, assequatur, qualia sunt Amor sui, Tristitia, & similia; alia indirectè impediunt, quatenus ad objecta contraria perfectioni impellunt, qualia sunt Tentatio, Mundus, Mulier, Voluptas, Lingua, & similia. De utrisque quid Ascetæ sit sciendum, breviter hac in parte indicabitur.

CAPUT I.

DE IMPEDIMENTIS DIRECTE IMPEDIENTIBUS A PERFECTIONE.

§. I.

De Amore sui.

I. Est inclinatio voluntatis ad proprium bonum appetendum; unde alio nomine *Amor concupiscentiæ* vocatur; de quo tria Ascetæ specialiter sunt scienda.

II. Primum est, ut bene cognoscat indicia proprii amoris, quæ quidem Julius Fatus sequentibus verbis indicat: Sicut ex effectibus cognoscuntur causæ; ita ex nimia sollicitudine, quam plerumque habes de tua existimatione, tuis commodis, & teipso, ex nimio etiam dolore ob adversa, quæ tibi solent accidere, facillimè colligere poteris amorem hunc, qui in te regnat, esse amorem tui ipsius.

III. Alterum est, ut bene cognoscat modum extirpandi amorem proprium, quem quidem Lyraus pulchrè ostendit, dum ait, quemlibet in se duos homines continere, animale scilicet, & rationale, quorum prior discolor & arroganti Esau, posterior probo ac miti Jacob non immeritò comparetur; unde sicut Rebecca Jacobum dilexit, Esau autem odio habuit; ita voluntas quoque humana animalem hominem odisse & persequi, rationale autem diligere, eique obsequi debet. Quod idem alius ingenioso emblemate explicavit, dum amoris proprii naturam exprimere volens Titionem pinxit unâ sui parte ignitum, alterâ frigentem, hoc lemmate adjecto: quæ non nocet, arripe. Unde more suo sapienter Seneca, Fateor, inquit, insitam esse nobis corporis nostri caritatem. Fateor, nos hujus gerere tutelam, nec nego indulgendum illi, serviendum nego. Multis enim serviet, qui corpori servit; qui pro illo nimium timet, qui ad illud omnia refert. Sic gerere nos debemus, non tanquam propter corpus vivere debeamus, sed tanquam sine corpore non possimus. Hujus nos nimius amor timoribus inquietat, sollicitudinibus onerat, contumelijs objicit, honestum civile est, cui corpus nimis carum est. Agatur ejus dili-

diligentissima cura, ita tamen, ut cum exigit ratio, cum dignitas, cum fides, mittendum in ignem sit.

III. Tertium est, ut bene cognoscat, quam noxius sit amor proprius, omni quidem Homini, sed maximè Religioso, & perfectionis studioso; id quod sequenti discursu sapienter Julius Fatius declarat: Considera, inquit, si ea est conditio boni, ut se diffundat, & propaget; non posse non magnum esse malum, amorem proprium; quippe qui efficit, ut homo illud, quod in alijs cernit, bonum, ad se totum pertrahat, nec de suo vel minimùm quid cum alijs communicet. Quòd si tantò majus aliquod malum est, quantò majori privat bono, erit certè amor proprius malum maximum; privat enim hominem bono, quo majus in hac vita haberi nequit, hoc est, amore DEI.

§. II.

De Tristitia.

I. Est apprehensio disconvenientis in appetitu intellectivo vel volitivo nobis nolentibus evenientis de qua sequentia Ascetæ sunt scienda.

II. Primum est, ut bene cognoscat, quantopere illa perfectionis studio obsit; certè Cassianus toto libro eam persequens concludit, non minori studio curandum esse hunc morbum, quam cæteros, si spirituales agonis certamina cupiamus desudare, utpote que omnem intelligendi & volendi facultatem quasi obturpescit, & obtundit.

III. Alterum est, ut solidum & efficacem sciat modum, pellendi hanc tristitiam, qui quidem in eo potiss.

potissimùm consistit, ut omnem ex animo rerum creaturarum concupiscentiam extirpantes, in solo DEO lætari assuescamus; nam, ut sapienter advertit. S. Gregorius, qui aut non habita concupiscit, ut habeat; aut adæpta metuit, ne amittat; & dum in adversis prospera, in prosperis formidat adversa, huc, illucque quasi quibusdam fluctibus volvitur, ac per modos varios rerum alternantium mutabilitate versatur. E contrario verò, ut S. Chrysostomus ait, in Domino gaudens, hanc voluptate ex nullo accidente excidere potest. Alia quippe cuncta, in quibus gaudemus, mutabilia sunt, & transitu facilia. Nec hoc solùm, sed etiam apud nos manentia, nascentem ex alijs rebus tristitiam repellere non possunt.

IV. Tertium est, ut certò sibi persuadeat id, quod S. Chrysostomus iterum sapienter docuit, nullam jacturam fieri per tristitiam & dolorem, reparabilem, nisi quam peccatum affert, atque adedò huic soli eam impendi debere. Hinc S. Leo dicere solitus erat, religiosam tristitiam aut alienum peccatum lugere, aut proprium.

Præter hæc duo impedimenta etiam Concupiscentia & voluntas propria assignari possent; sed de his in p. 1. c. ult. est actum.



CAPUT II.

DE IMPEDIMENTIS INDIRECTE
IMPEDIENTIBUS A PER-
FECTIONE.

§. I.

De Tentatione.

I. Est juxta Petrum Chrysologum species fallens, quæ prospera in adversis, adversa occultat in prosperis, humanamque ignorantiam dolose educit in lapsus, de qua Ascetæ sciendum præcipue, quid ante, in, & post sit observandum.

II. Ante tentationem itaque tria observanda sunt. 1. Ut certò sibi persuadeat, postquam accessit ad servitum DEI, animum ad tentationem paratum esse; imò quò plùs in Sanctitate profecerit, tantò vehementiùs oppugnatum iri, cùm, teste S. Gregorio, hostis noster in hac vita positos, quantò magis nos sibi rebellare conspicit, tantò ampliùs expugnare contendat. 2. Ut firmiter quoque credat, DEUM, uti S. Paulus 1. Cor. 10. v. 13. monet, fidelem esse, atque adedò non passurum, ut supra vires tentetur; enim, ut rectè discurret S. Ephrem, homines, cùm tam parùm sciant, sciunt tamen discernere, quantum oneris singula jumenta ferre valeant, tantumque imponunt, quantum eorum vires tolerant; si etiam figulus vasa efformans novit, quanto ea tempore in igne relinqui oporteat, ne, si diutiùs relinquet, adurantur; si minùs, dissolvantur; quanto magis DEUS, cujus est infinita potentia & Sapiencia, novit, quibus tenta-

tentationibus aut probationibus indigeant animæ ipsi placere volentes, neque majores permittet, quàm ipsarum utilitati conducatur? 3. Ut pariter firmissimè credat, non nocere sensum in tentationibus, si absit consensus; ut enim ignis sub cinere latet, etiamsi cineribus totus videatur sepultus; ita & caritas in corde esse potest, licet ob tentationum gravitatem videatur penitus extincta.

III. In ipsa tentatione quinque doctrinæ observandæ sunt. 1. Ut non concidat animo; si tentationum procellæ exortiantur; ut enim si Nauta semel à timore occupatus est, ad navim regendam proterus ineptus evadit; ita animus tentati si timori cessaverit, manifesto victoriæ amittendæ periculo se exponit. Unde sapienter monet S. Gregorius: In tentatione deprehensus tenebras mœroris incide, ne, qui in tanta animi tranquillitate alta de te senseras, in perturbatione quoque deterioris cogitationum caligine te confundas. 2. Ut Christi consilium sequatur dicentis: *vigilate, & orate, ne intretis in tentationem.* Et vigilantiam quidem etiam S. Paulus commendans, *vigilate, ait, stete in fide, viriliter agite; & confortamini: orationi instante, vigilantes in ea.* Quâ ratione autem suscipi debeat hæc vigilantia, pulchrè docuit S. Augustinus, dum sic Evangelium *vigilate* clausit: *Si ergo dormituri sumus, quando vigilabimus? corde vigila, fide vigila, spe vigila, caritate vigila, operibus vigila.* Hodie laboramus, & lampades nostræ inter ventos seculi hujus, tentationesque fluctuant, sed ardeat in robore flamma nostra, ut ventus tentationis augeat potius, quàm extinguat. Oratio verò quomodo practicanda sit, pulchrâ similitudine

Y

dine

dine declarat Abbas Joannes dicens: Similis debet esse Monachus homini sedenti sub arbore grandi, qui respiciens feras diversas & serpentes venientes ad se, cum non possit eis resistere, subit in arborem, & salvatur. Ita & Monachus sedens in cella, & videns pravas cogitationes confugiat ad DEUM per orationem, & salvabitur. Item similis debet esse homini habenti à sinistra ignem, & à dextra aquam, ut quotiens fuerit succensus ignis, tollat de aqua (puta oratione) & extinguat illum. 3. Ut initijs tentationum fortiter invigilet, & resistat: quia, ut bene monuit pius Author libelli de Christi imitatione, *facilius hostis vincitur, si ostium mentis nullatenus introitus finitur, sed extra limen statim, ut pulsaverit, illi obviatur.* Econtrario verò, si tentationi in carne nascenti festinè non resistitur, eadem, quâ nutritur, horâ roboratur, & existens foris in operibus vix prevallet, quia ipsam intus membrorum Dominam mentem captivam tenet, ut sapienter notavit S. Gregorius. Ut non obiter & perfunctoriè resistat tentationi & Hosti, sed penitus, quantum fieri potest, deleatur quod fiet, si ipsa etiam tentationum radix & occasio tollatur. Est autem hæc radix non alia, quam concupiscentia, uti clarè S. Jacobus indicavit dicens: *Unde lites & bella in vobis? nonne hinc, ex concupiscentijs, quæ militant in membris vestris? Hæc autem radix tunc tollitur, si à Creaturis ad DEUM transferatur, juxta doctrinam S. Davidis dicentis: Delectare in Domino, & ipse tibi dabit petitiones cordis tui? Et Salomonis: Quorum si specie delectati, Deos putaverunt, sciant, quantum his dominator eorum speciosior est, speciei enim generator hæc omnia*

constituit. 5. Ut ad pugnam se varijs motivis; præfertim DEI & totius Curiaë cælestis agonem spectantis, & animos addentis, præsentia cogitata excitet; quemadmodum S. Stephanus exemplo suo docuit, cælos apertos, & JESUM stantem à dextris contemplatus, dum lapidibus impeteretur.

IV. Post tentationem tria specialiter sunt observanda. 1. Ut debitæ DEO pro obtenta victoria gratiæ ferventer persolvantur, dicendo cum S. Davide: Benedictus Dominus DEUS meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum. Aut: Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. 2. Ut non putetur debellatum esse, si semel victoria obtenta est; nam, ut sapienter advertit venerabilis Beda, sæpe antiquus hostis; postquam menti nostræ tentationum certamen inflixerit, ab ipso suo certamine ad tempus recedit, non ut illatæ malitiæ finem præbeat, sed ut corda, quæ per quietem secunda reddidit, repente rediens, faciliùs inopinatè irrumpat. Huc etiam pertinet, ut non abiciat animum, aut contristetur, si devictis gravioribus hostibus advertat, se adhuc à minoribus infestari, nam, ut sapienter discurret S. Gregorius, hoc divinâ dispensatione agitur, ne ex omni parte virtutibus splendens in elationem sublevetur: ut, dum in se parvum quid reprehensibile videt, & tamen hoc subjungere non valet, nequaquam sibi, sed Authori victoriam tribuat in his, quæ subigere fortiter valet. Quod ad hoc agitur, ut ad virtutem mens proficiens justitiâ suâ, meliùs infirmitate roboretur; & inde veriùs in bonis luceat, unde etiam nolentem parva reprehensibilia humiliter obscurant. Unde & bene, cum

Y 2

Israëli-

Israëlitico Populo percepta promissionis terra dividetur Ephraim Tribui Chananæus gentilis Populus non occisus, sed factus est tributarius. Rectè autem tributarius effici dicitur, quia hoc ipsum vitium, quod subigere non possumus, ad usum nostræ utilitatis humiliter retorquemus, ut eo de se mens in summis vitia sentiat, quò suis viribus etiam parva, quæ appetit, non expugnat. Unde & bene rursus scriptum est: Hæ sunt gentes, quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israëlem. Ad hoc namque quædam minima vitia nostra retinentur, ut sese nostra intentio sollicitam in certamine semper exercent, & eo de victoria non superbiat, quo vivere in se hostes conspicit, à quibus adhuc vinci formidat. 3. Ut, à quis in tentatione cecidisse ac succubuisse se advertat, animis non concidat, sed potiùs salubrem Thomæ Kempensis doctrinam ac consilium sequatur: Certa tanquam miles bonus; & si interdum ex fragilitate corruis, resume vires fortiores prioribus, confidens de ampliori gratia. Nam, ut rectè advertit S. Gregorius, sicut Dux in prælio plùs eum militem diligit, qui post fugam reversus, hostem fortiter percutit, quàm illum, qui nunquam terga præbuit, DEUS sæpe illos plùs amat, qui post peccatum ferventiùs illi servierunt, quàm qui peccato mortali non commisso, tepidos se in ejus servitio exhibuerunt.



§. II.

De Mundo.

I. Est, prout h̄c accipitur, vitiosa & misera humanae naturae conditio ex peccato originali contracta; de quo quatuor Ascetæ sunt scienda.

II. Primum est, ut firmiter sibi, aliisque persuadeat id, quod unanimiter SS. Patres & Ascetæ docent, & cum illis S. Cyprianus dicens: Mundi Amor & DEI pariter in uno corde habitare non possunt, quemadmodum oculi pariter cælum & terram nequaquam conspiciunt. Quod idem confirmans S. Hieronymus, difficile, ait, imò impossibile est, ut præsentibus quis & futuris fruatur bonis, ut h̄c ventrem, & ibi mentem impleat: ut de delicijs transcat ad delicias: ut in utroque sæculo primus sit, & in cælo ac in terra appareat gloriosus.

III. Alterum est, ut certò sibi persuadeat, non posse se Christi discipulum esse, nisi & mundum odisse, & ab ipso odio haberi velit; sic enim ipse Christus prædixit: Si de Mundo fuissetis, Mundus, quod suum erat, diligeret. Quia verò de Mundo non estis, sed ego elegi vos, propterea odit vos Mundus.

IV. Tertium est, ut sciat, quid sit relinquere Mundum, nempe relinquere ea, quæ quærunt Mundani, puta voluptates, divitias, & honores, & similia. Deinde relinquere modum imperfectum, quo Mundani opera ad cultum DEI & Proximorum spectantia peragunt. Et tandem relinquere finem, propter quem Mundani plerumque sua opera peragunt, scilicet proprium commodum & amorem. Hoc modo

do enim impletur consilium Apostoli suadentis, ut Mundo tanquam non utentes utamur.

V. Quartum est, ut studeat non quocunque modo recedere à Mundo, sed ita, ut eodem, aut majori fervore, quo priùs Mundo serviebat, deinceps DEO serviat, juxta consilium S. Augustini dicentis: Amorem vestrum purgate, & quales impetus habebatis ad Mundum, tales habeatis ad Artificem Mundi. Quod ipsum etiam suadens S. Chrysologus, vivamus, inquit, DEO paululum, qui sæculo vivimus totum: dedimus corpori annum, demus animæ paucos dies. Tempus est, ut aliquando tibi, domuique tuæ provideas.

§. III.

De Muliere.

I. Est homo ad liberos passivè procreandos natus; de qua Sequentia nosse, & observare debet Asceta.

II. Primum est, ut quantum fieri potest, omnem cum hoc sexu consuetudinem & familiaritatem penitus abscindat, eumque in finem, memorandam S. Hieronymi sententiam ob oculos semper habeat. Quid tibi necesse est in ea versari domo, in qua necesse habeas quotidie, aut perire, aut vincere? quis unquam apud viperam securus somnum capit? quæ enim si non percutiat, certè sollicitat.

III. Alterum est, ut, ubi caritas aut necessitas ejusmodi conversationem aut cohabitationem suadet, cum magna cautela eam suscipiat; nimium enim præceps est, qui transire contendit, ubi alium conspexit cecidisse.

cecidisse. Neque fidat sibi, si cum vetulis agendum erit, nam etiam ab his periculum imminere, pulchrè quondam Abbas quidam Monachis suis ostendit, dum omnes Ancillas & Lotrices à Monasterio removit, & Monachis propterea, quòd vetulæ essent, murmurantibus, cœnam probè salitam cum modico potu apposuit. Qui cùm ingenti siti accensi, defectu frigida, aquam è limoso stagno biberent, Abbas id advertens, dixit, eodem modo rem cum concupiscentia se habere, quæ, ubi cum Virginibus satiari non potest, in vetulis quærit satietatem.

IV. Tertium est, ut non timeat inordinatè spirituale damnum, si tria hæc concurrant. 1. Superiorum voluntas id jubentium. 2. Pura intentio, nullum ex conversatione solatium aliud, quàm DEI gloriam & animarum salutem quærens. 3. Si omnis levitas, & nimia libertas agendi absit. Ob quas causas P. Balthasar Alvarez dicebat, securitatem in agendo cum Proximis, cùm ex obedientia fit, esse valde magnam, aded ut, si quis obediendi causâ infames scæminas accederet, ut illas Christo lucraretur, cum ijs agens mundissimas haberet cogitationes, quasi Angelus DEI; at si ex propria voluntate in cubiculo suo maneret, scædis ibi cogitationibus ureretur.

V. Quartum est, ut non facilè committat alicui Mulieri secretum, quod alijs divulgari noller; ita enim jam olim Propheta Micheas monuit, dicens: Ab ea, quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui. Hinc jam olim Censorius Cato dicebat, trium se peccitudine tangi. 1. Quòd iter fecisset mari, cùm terrâ potuisset. 2. Quòd diem non condito testamento transigisset. 3. Quòd secretum scæminæ commisisset.

§. IV.

De Voluptate.

I. Est quies naturalis & vitalis in bono congruente adepti; de quo *Sequentia Ascetæ* sunt scienda.

II. Primum est, ut bene cognoscat, & ponderet finem, propter quem voluptas rebus à DEO indita est, nempe ut, quemadmodum Plato dicere solebat, sit malorum esca; inde enim colliget, non esse in ea sistendum, sed eatenus tantum admittendam, quatenus nos promptiores reddere potest ad debitum DEO servitium alacrius, perfectiusque præstandum.

III. Alterum est, ut meminerit sapientis effatus ab Aristotele prolati, quo dicebat: Omnes homines naturæ instinctu delectationem querere, quoniam omnibus rebus divinum quiddam impertitum est, quo inclinantur in optimum. Ut tamen prudenter quis eligat veras delectationes, iudicium de his non ex delectationibus malorum, sed bonorum hominum sumendum esse ait; solas enim illas esse pro veris delectationibus habendas, quibus illi utuntur: quod autem alijs alia jucunda videantur, id ex corruptela potius provenire, atque adeò non absolutè jucunda censenda, utpote quæ non nisi à malis talia censentur; nam ut Pueri, quæ ipsi amant, præstantissimè putant, quæ tamen eadem à viris nihili æstimantur; sic alia placent probis, alia improbis, ex quibus hi, quia sano iudicio carent, & delectationes corporales ac turpes magis sensibiles sunt, hoc ipso eas etiam Spiritualibus præferunt.

IV. Tertium est, ut in appetitu voluptatum omnem præcipitantiam sedulo cavendam sciat, sed potius illam sapientissimam Epicteti doctrinam ob oculos habeat: Si voluptatis alicujus imaginem animo conceperis, moderare tibi, ne ab ea movearis. Sed & rem examina, & tibi ipsi præbe deliberandi spatium. Deinde utriusque temporis memento, tum ejus, quo voluptate frueris; tum ejus, quo perceptâ jam voluptate dolebis, tēque ipse objurgabis. Sed & illud observâsse proderit, quod S. Basilius ex Prodigio Chio narrat; scilicet Juveni quondam Herculi secum consulenti, ad utram se viarum converteret, (an ad eam, quæ ad virtutem per labores ducit; an ad facilem per voluptates?) duas mulieres, virtutem ac voluptatem occurrisse, quarum mox differentiam ex diverso habitu agnoverit; altera quippe formâ conspicua, molliori facie, lascivis oculis, sermone blando, omnia fausta, faciâque, & ad vitæ solatia tendentia pollicendo, Herculem ad se trahere conabatur. Altera verò vultu rigido, squalenti, mœstôque ore, magnam fiduciam atque constantiam præferens, nihil jucundum, nihil amœnum ostendebat, sed mille pericula, laborésque immensos terrâ, marique subeundos, præmium tamen horum immortale, ad extremum verò morientem Herculem se secuturam, & inter Deos collocaturam recipiebat; hancque secutum Herculem, dicit.

V. Quartum est, ut frequenter ponderet, quanto bono sensibiles voluptates privent, sibi que persuadeat, eos, qui ejusmodi voluptates inordinatè appetunt, olim dicturos, quod Lyfimachus cum gemitu questus est, dum ob sitim se Scythis dedere coactus,

Y 5 ubi

ubi aquam frigidam bibit, exclamavit: *Dij boni, quàm brevis voluptatis causâ quantam felicitatem perdidisti!* Quod ipsum non malè alius persequentem fabulam expressit: *Ad mel, inquit, profusum in cella quâdam advolantes muscæ, illius dulcissimo succo jucundissimè pascebantur. Sed jam Saturæ, cum avolare vellent, pedibus in tenace liquore hærentibus, nitentes etiam alas implicuerunt, quasi visco quodam mellis. Itaque morituræ, O miseræ nos, inquit, quantillus nobis cibus interitum attulit!*

VI. Quintum est, ut firmiter sibi persuadeat, veras voluptates non meliùs, certiusque, quàm contemnendo falsas, obtineri. Id quod nonnemo aprè persequentem fabellam ostendit. Quidam, inquit, conspecto alveo, intra quem apes delitescabant, accessit & mellis avidus, aperuit eundem, sed, cum miserè acceptus ab apibus, alteri cuiquam amico occurrisset, hic causâ tantæ exulcerationis intellectâ, tu, inquit, si deinceps mel tutò capere fruique desideras, apes prius abigas, oportet; apes autem has inordinatas voluptates puta.

§. V.

De Lingua.

I. Est membrum animalis ad cibum gustandum, vocemque formandam à Natura ordinatum; de qua *Sequentia Ascetæ sunt scienda.*

II. Primum est, ut bene cognoscat, in quo consistat ars rectè loquendi, scilicet in eo præcipuè, ut linguâ suâ velut ostio utatur, prout *S. David à DEO petivit, dam dixit: Pone, Domine, custodiam ori meo,*

meo, & ostium circumstantiæ labijs meis; hâc enim similitudine indicatur, quemadmodum sedulus Janitor ostium interdum clausum, interdum apertum habere debet, ita idem circa linguam observandum esse. Porro ut cognoscat, quando hoc ostium aperire debeat, optimum erit consilium, si exemplum Monachi illius sequatur, qui cellæ suæ ostio hæc tria verba inscripsit: *Necessitas, utilitas, caritas*: per ea indicare volens, non prius aperiendum ostium id esse, quàm una ex tribus his causis exigeret. Alij totam artem loquendi in illa S. Pauli sententia: Sermo vester sit sale conditus: contineri putant; per illa enim indicare voluit, omnibus verbis sale sapientiæ inspergendum, quâ diligenter materia, finis, Persona loquens & audiens, tempus & modus observentur, hoc enim esse ostium *circumstantiæ*, quod labijs suis poni petiit S. David in citato versu.

III. Alterum est, ut dignam de hac arte loquendi seu usu linguæ æstimationem concipiat, quam quidem tunc facile hauriet, si meminerit, quod S. Jacobus dixerit, videlicet, si quis non delinquit in verbo, hunc perfectum esse virum; atque ad eò perfectionis studio præ cæteris convenire, ut linguam suam regere nôrit. Hinc idem Apostolus in eâdem Epistola dixit: si quis putat se Religiosum esse, non refrænas linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio. Atque hoc totum S. Paulus in se expertus est, dum de seipso dixit: Cùm essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus; quando autem factus sum vir, evacuavi, quæ erant parvuli, aliter scilicet loquens & agens, prout virum perfectum decebat.

IV.

IV. Tertium est, ut certò sibi persuadeat, quem admodum Ascetæ vel maximè convenit, frequenter, imò quantum fieri potest assiduò, de DEO ac spiritualibus rebus miscere sermonem; ita nihil ipsum magis dedecere, quàm faceta, jocosa, ac risum moventia verba, ut quæ, teste S. Basilio remissionem, dissolutionemque animi erga res spirituales inducant, devotionem enervent, & compunctionem cordis extinguant, &, quod caput est, moriones potiùs deceant, quàm graves viros. Et sanè si S. Bernardus de Sacerdotibus dixit: inter seculares nugæ sunt: in ore Sacerdotis blasphemia. Consecrasti os tuum Evangelio, talibus jam aperire illicitum, adsuefacere sacrilegium est; quantum magis de Religioso ad perfectionis studium obligato, id ipsum sentiendum erit: cujus rationem ulteriorem S. Clemens Alexandrinus sequentibus verbis affert: cum verba omnia à cogitatione & moribus emanent, fieri non potest, ut verba aliqua mittantur ridicula, quæ non procedant à moribus ridiculis; ex abundantia siquidem cordis os loquitur. Hinc S. Ignatius Loiola inter principalia juvandi proximi instrumenta, colloquia pia & sacra numeravit, eaque suis omnibus etiam Laicis Fratribus mirificè commendavit, utpote quæ faciunt, ut seculares magnificè de nobis sentiant, existimantes nos DEO plenos esse, omnibusque donis cælestibus abundare. Certè de S. Francisco Xaverio compertum est, plura ipsum fructus fecisse privatis colloquijs, quàm publicâ verbi divini prædicatione. Unde meritò S. Bernardus exclamans ô quantum, ait distamus ab his, qui in diebus Antonij extitère Monachi! horum enim conversatio tota in cælis erat. Et hic rectus ordo e-

rat, quando digniori parti prius inserviebatur. Nobis autem convenientibus in unum (ut verbis Apostoli utar) jam non est Dominicam cœnam manducare ; panem quippe cœlestem nemo est, qui requirat, nemo qui tribuat : nihil de scripturis, nihil de salute agitur animarum, sed nugæ, & risus, & verba proferuntur in ventum. Neque dicas, si caritatem, affabilitatem, ac discretionem requirere, ut quasi astulti, seculares capiamus, nam, ut idem Sanctus rectè advertit, ista caritas caritatem destruit, hæc discretio discretionem confundit ; quæ enim caritas est, carnem diligere ; & spiritum negligere ? quæve discretio, totum dare corpori, & animæ nihil ? Hæc tota S. Bernardi doctrina non modicè confirmatur ex eo, quod Taulerus memorat, nimirum Christum insigni cupiam DEI servo apparuisse, & septem quærelas adversus Religiosos magno animi sensu deposuisse, inter quas secunda erat, quòd omnes illorum congressus & colloquia vanis ineptisque narratiunculis extrahantur, de ipso autem & cœlestibus altissimum semper sit silentium.

§. VI.

De Consuetudine.

I. Est habitus ex frequentatis actibus generatus, conferens facilitatem operandi ; de qua sequentia Ascetæ specialiter sunt notanda.

II. Primum est, ut bene cognoscat astum Dæmonis, quo homines in consuetudinem solet inducere, quem quidem astum S. Gregorius sequentibus verbis indicat ; Antiquus hostis prius quasi consulens, blanda
ad

ad animum loquitur : Sed cùm semel delectationis infixit , violentiâ post consuetudinem penè insolubiliter innodatur.

III. Alterum est, ut solidum sciat modum, eque modi pravas consuetudines curandi , qui quidem in duabus præcipuè industrijs consistit. Prior est, ut difficultatis opinionem tollat, eumque in finem doctrinam S. Chrysostomi proponat dicentis : Quamdiu in fornace voluptatum consistit, etiamsi exemplis abundet infinitis, ipsi res esse supra vires apparet : cæterum si vel leviter illinc cœperit egredi, identidem procedens vim ignis à tergo relinquit, videtque ante se, & ad pedes propemodum viam roscidam, atque eximie facilitatis. Posterior est, ut S. Augustini monitum observet sic ad Aurelium scribentis de ebrietatis consuetudine tollenda : Non asperè, quantum existimo, non duriter, non modo impetuoso ista tollantur : magis docendo, quam jubendo ; magis monendo, quam minando : sic enim agendum est cum multitudine peccantium. Severitas autem exercenda est in peccata paucorum. Sic S. Bernardus grandi peccatori suadens, ut primùm ad honorem SS. Trinitatis per triduum abstineret, post unum diem ad honorem B. V. adjiceret, effecit, ut ultro diceret : Nolo ampliùs diurnas, sed perennes cum DEO inducias inire.

IV. Tertium est, ut indicia emendatæ consuetudinis cognoscere studeat, quorum primum est, minorem inclinationem sentire ad objectum consuetudinis, juxta illud Psalmistæ : Exercitatus sum, & defecit paulisper Spiritus meus. In quæ verba S. Gregorius commentans sic loquitur : Quid est Spiritus meus, nisi Spiritus hominis, videlicet Spiritus electionis : & quia per

per occultam gratiam ad DEI amorem, desuper temperatâ mensurâ proficimus, quantò nobis quotidie de DEI Spiritu virtus crescit, tantò Spiritus noster deficit. Qui Spiritus erroris, quia non subito penitus à nobis amputatur, bene paulisper defecisse perhibetur. Secundum signum est, positivam ad illud objectum difficultatem sentire, nam teste S. Macario, affectuum carentia paratus est status animæ, secundum quem difficulter movetur anima erga malitiam. Tertium, tentationibus facilè resistere; hoc enim proprium est perfectorum, ut ab omni Diabolica impugnatione securi, absque ullo labore & difficultate vitia carnis vel respiciant, vel abscondant. Quartum, naturalem quandam nauseam & horrorem erga illa objecta experiri; quemadmodum enim solis lumen sanum oculus ad seipsum pertrahit, sic DEI cognitio puram mentem, per caritatem naturaliter ad seipsum allicit, teste S. Maximo. Quintum, moralem quandam impossibilitatem sentire, & dicere posse cum S. Paulo: Certus sum, quia neque mors, neque vita &c. neque alia creatura poterit nos separare à charitate DEI.

§. VII.

De Societate.

I. Est aliquorum conjunctio ob commodiorem usum, & quæstum uberiolem contracta; de qua Sequentia Ascetæ sunt scienda.

II. Primum est, ut bene cognoscat commoda & fructus, qui ex Societate hauriuntur, eumque in finem sententiam S. Gregorij ob oculos habeat dicentis: Pensate, quæso, ubi erit patientia, si deest, quod tolleretur? Ego Abel esse non suspicor, qui Cain non habuerit.

rit. Boni enim si sine malis fuerint, perfecti esse boni non possunt, quia minimè purgantur. Ipsa autem malorum Societas purgatio bonorum est.

III. Alterum est, ut sciat, quibus potissimum sociis bonis se adungere debeat; id quod S. Ambrosius sequentibus verbis docet: Sequatur conversationis electio, ut adjungamur probatissimis quibusque Senioribus; namque ut æqualium usus dulcior, ita senum tutior est, qui magisterio quodam & ductu vitæ colorat mores adolescentium, & velut murice probitatis inficit. Namque si hi, qui sunt ignari locorum, cum solertibus viarum iter adoriri gestiunt, quantò magis Adolescentes cum Senibus debent novum sibi iter viæ aggredi, quò minùs errare possint, & à vero tramite virtutis deflectere? nihil enim pulchrius, quàm eosdem & Magistros vitæ, & testes habere.

IV. Tertium est, ut regulam cognoscat, malos socios à bonis discernendi, quam sapienter Plutarchus assignat, dum ait: Una cavendi insidias occultè malorum ratio est, quod in promptu semper habendum memoriâ: Cùm animi nostri pars una veritati & honestati dedita, rationi rectæ obtemperet, altera bruta sit, falli appetens, incertisque obnoxia motibus, amicum semper meliori parti se accommodare consiliarium ac monitorem instar Medici sanitatem augentis & conservantis: adulatorem (is est perniciosus Sodalis) brutæ, & cupiditatibus addictæ parti se applicare, eamque pravis voluptatibus submittendis scabere ac titillare, & à rectæ rationis obsequio avertere.

V. Quartum est, ut bene apprehendat periculum, quod à malis sociis imminet, id quod bene Drexelius sequentibus verbis declarat: Nemo vitiosus non aliquod

aliquod nobis vitium commendat, aut imprimit, aut nescientibus allinit: Sunt vitia, quæ commendantur exemplo: alia imprimuntur Sermone: plurima allinuntur conversatione. Tutissimum est, omnes suspectæ vitæ amicos Sodales cavere, & discessionem ab ijs maturè facere. Et iterum paulò post: Viva vox & convictus ad docenda vitia, & suavis, & potens est persuasio; habet enim vim præcepti frequenter aspici, audire frequenter. Socium ergo improbum aut imiteris necesse est, aut insecteris, utrumque vitandum est, ne aut malis similis, aut multis inimicus fias. Malorum enim ubique plurimos invenies.

§. VIII.

De Divitijs.

I. Sunt bona externa ad usum hominum cum Dominio concessa; de quibus *Sequentia Ascetæ* scienda sunt.

II. Primum est, ut earum fallaciam bene cognoscat, atque adeò eas maturè abjiciat & perdat, ne ab ijs perdat.

III. Secundum est, ut, cum sæpe non possint omnibus bonis se privare, doceat solidum & securum modum ijsdem utendi, ut scilicet cor non apponant, sicque utantur quasi non utentes.

IV. Tertium est, ut ad veras & spirituales divitias potissimam suam curam & convertat ipse, & alios convertere persuadeat, eas nempe, de quibus S. Bernardus dixit: Veræ divitiæ non opes sunt, sed virtutes, quas secum conscientia portat, ut in perpetuum dives fiat. Ad has enim ipse etiam Christus hortatus

Z

tus

tus est, dicens: Thesaurizate autem vobis thesauros in cælo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, nec furantur.

PARS VI.

DE MODO PROFICIENDI
IN SCIENTIA ASCETICA.

Modum hunc egregiè sapientissimus Salomon exemplo suo docuit, dum Sap. 7. dixit: *Propter hoc optavi, & datus est mihi sensus; & invocavi, & venit in me Spiritus Sapientia: & prapofui illam regni & sedibus &c.* per hæc enim verba sat clarè ostendit, se tria præcipuè media adhibuisse ad Sapientiam comparandam, nempe desiderium, orationem, & propriam cooperationem; quæ proinde ab ijs quoque, qui Scientiam Asceticam bene addiscere capiunt, adhibenda erunt; quâ ratione autem ea in praxi utilis panda sint, jam nunc ostendetur.

CAPUT I.

DE DESIDERIO AD SCIENTIAM
ASCETICAM ADDISCENDAM
NECESSARIO.

I. **Q**uantopere desiderium, conducat ad Scientiam Asceticam, ipsâque adeò perfectionem consequendam, clarè iterum Salomon Sap. 6. ostendit dicens: *Concupiscite ergo sermones meos, diligite illos, & habebitis disciplinam. Clara est, & quæ nunquam marcescit Sapientia: & facile videtur ab his, qui diligunt eam: & invenitur ab his, qui querunt illam.*